



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Salsbvr gensi Archiepiscopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

ter te accingas ut Regem ipsum nobis, ut decet, opportuno tempore repræsentes; quatenus præmissis iis qua solent & debent præmitti, nos eum in Romanum Imperatorem auctore Domino coronemus. Datum Laterani Nonis Aprilis.

## TREVIRENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 68.

**E**xpectavimus hactenus expectantes si forsitan, beneplacito nostro per venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum apostolice sedis Legatum plenius intellecto, carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Regem electo, maximè quia nobis ex generali debito & speciali jura mento teneris, potenter & patenter adhærere jurates, & non sicut, sed sive potius præstares auxilium & favorem. Verum, sicuti accepimus, mandatum nostrum implere dissimulas, & oblitus proprij juramenti, quod juraveras exequi vel differs nimium, vel omnino postponis. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamus attentiū & per apostolica tibi scripta mandamus, & sub debito fidelitatis quo Ecclesia Romanæ teneris astriktus, & vinculo juramenti quod super hoc specialiter præstisti, districte præcipimus quatinus eidem Regi de cetero fideliter & constanter adhæreas & potenter & patenter assistas. Alioqui noveris nos eidem Legato per apostolica scripta mandasse ut te tamquam transgressorum proprij juramenti singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, excommunicatum publice nuntier, & mandet ab omnibus arctiū evitari. Hoc idem etiam venerabilibus fratribus nostris Coloniensi, Maguntino, Bisuntino, Remensi quoque, ac Senonensi Archiepiscopis districte præcipiendo mandamus. Quod si nec sic forsitan mandatum curaveris apostolicum adimplere, securum poteris arbor steriles non immerito formidare. Si vero elegeris potius obedire, te tamquam venerabilem fratrem nostrum & honorabile apostolica sedis membrum honorare curabimus & taliter studebimus confovere quod lèdere te non poterunt jacula que formidas. Datum Laterani vi. Idus Novembris, anno quinto.

IOHANNI REGI ANGLORVM  
illuftri.

Epist. 69.

**N**on debet alii debitum denegare qui ab aliis quod sibi debetur postulat exhiberi. Quotiens autem tua serenitati scripsierimus ut carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo nepoti tuo ea quæ inclita recordationis Richardus Rex Anglorum gernianus tuus ei legaverat exhiberes, tua serenitas non ignorat. Quantum autem profecerimus per litteras super hoc totiens replicatas, facti evidenter manifestat. Sanè si quid tuo expediret honori debita meditatione penates, non solum quæ ipsi ab alio sunt legata jamdudum ei sine diminutione qualibet solvere debuisse, sed efficax ei subsidium tam in personis quam rebus regaliter ministrare; cum credas, ut credimus, immo noris, ut novimus, aliquos contra eum, non in odium personæ, sed

sanguinis, graviter commoveri, non tam ipsum quām te in eo vel ipsum pro te lèdere cupientes. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur attentiū quatenus nuntiis Regis ejusdem legatum ipsum cum integritate perfolvas, & cū nos ei jam publicè favorem apostolicum impendamus, tu quoque in ejus auxilium potenter ac regaliter accingaris. Alfoquin distinctionem quam venerabilis frater Cantuariensis Archiepiscopus propter hoc duxerit exercendam, ratam haberi volumnus, & præcipimus inviolabiliter observari. Datum Laterani v. Kal. Aprilis, anno quinto.

## SALSBVRGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 70.

**Q**uantam venerabilis frater noster Pataviensis Episcopus invenerit gratiam in oculis nostris, cū in nostra esset præsentia constitutus, & quantum ei & Ecclesiæ suæ per auctoritatem sedis apostolicae commodi provenerit & honoris, à sua tam citò non debuerat memoria excidisse. Sed cū eum inter alios Prælatos Ecclesiæ membrum firmissimum crederemus & ad exequenda mandata nostra promptum omnimodis invenire, dummodo ei constaret de nostra beneplacito voluntatis, de ipso in contrarium sentire compellimur & aliud quām creditimus cogitare. Poterat quidem satis sufficere quod ex quo sibi super imperij Romani negotio nostra innotuit intentio manifestè, non solum dispositioni nostre acquiescere non curavit, verum etiam modis omnibus in contrarium est enīs, sicut effectus operis manifestat. Sed ipse nobis mala pro bonis retribuens, non solum se voluntati nostræ opponere attenuavit; quin etiam longè antè quedam sinistra de nobis, super quibus per litteras suas, quas apud nos in testimonium facimus reservari, convinci poterit in nostra præsentia constitutus, scribere non expavit. Præterea cū eidem Episcopo sèpe dederimus in mandatis ut carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Vngariae duo millia marcarum, quas eidem restituere procuraret, quibus pro Hierosolymitano itinere peragendo idem Rex plurimum indigebat, ipse id non solum efficerem non procuravat, sed nec etiam super eo dignatus est nobis litteris vel nuntiis respondere, patenter ostendens se mandati apostolici contemptorem. Ad hæc, licet eidem fuerit ab apostolica sede præceptum ut pecuniam quam iniquè receperat pro redēptione inclitæ recordationis Richardi Regis Anglorum injustissimè capti de crucifixi servitio redeuntis, cuius captores, detentores, & fautores eorum Romana Ecclesia excommunicationis vinculo innodavit, restituere non differret, ipse tamen & animæ suæ salutem postponens, cui debuerat recepta taliter restituere per se ipsum, & apostolica mandata replicata sèpius parvipendens, pecuniam ipsam restituere non curavit. Obtenui insuper litterarum falsarum, quas nullus sane mentis credere debuerat à nobis aliquatenus emanasse, prædictus Episcopus cum Frisingensi & Heistetensi Episcopis venerabilem fratrem nostrum Maguntium Archiepiscopum in favorem adversorum suorum ad suam præsentiam citare præ-

## De negotio imperij.

721

sumpit, cùm non debuerit aliquatenus ignorare quod quæ sunt judicio sedis apostolicæ terminata, supra quam non potest aliquis hominum judicare, non consueverunt postmodum alieno judicio retractari. Propter quod si vigeret in ipso illa dīcretio quæ debetur, saltem de litteris illis debuerat dubitare quæ contra iustitiam & formam sedis apostolicæ sapere dīnoscuntur, & à nobis inquirere si ei & aliis esset per illas litteras procedendum; sed ad exequenda justa & honesta mandata nostra, sicut operis exhibitione clarescit, tepidum se exhiber & remissum; ea verò per qua posset aliquid in contemptum & detrimentum sedis apostolicæ attentari, pro posse satagit ecleſiter & efficaciter adimplere. Vnde licet quidam de dictis excessibus sint adeo manifesti quod in prefatū Pataviensem Episcopum possemus de jure graviter vindicare, volentes tamen benignius secum agere, salva sententia si quam tulit in eum venerabilis frater noster Prænestinus Episcopus apostolicæ sedis Legatus, ut videamus rigorem manuetudine temperare, eidem per scripta nostra districte præcipiendo mandamus ut usque ad proximam Dominicam qua cantabitur *Letare Hierusalem* per se vel responsales idoneos ad praesentiam nostram accedere non postponat, suam ostensurus, si poterit, innocentiam, vel nobis satisfactionem congruam impensurus. Alioquin ex tunc se noverit ab officio pontificali & sacerdotali suspensum. Ideoque fraternitati tua per apostolica scripta mandamus & districte præcipimus quatenus litteras nostras, quas eidem Pataviensi dirigimus, ipsi faciens per tuos nuntios presentari, si forte ipse quod mandamus non curaverit adimplere, tu eum ab officio pontificali & sacerdotali suspensum per universam Salzburghensem provinciam nunties, & facias ipsam suspensionis sententiam per distributionem ecclesiasticam appellatione remota inviolabiliter observari. Qualiter autem in negotio ipso processoris, nobis non differas tuis litteris intimare. Datum Velletri v. i. Non. Octobris, pontificatus nostri anno quinto.

*Scriptum est super hoc predicto Pataviensi Episcopo.*

### EPISCOPO LINGONENSI.

Epiſt. 71.

**Q**uantum venerabili fratri nostro Bisantiino Archiepiscopo gratiam impenderimus, cùm olim in nostra promotionis primordio ad fedem apostolicam accessisset, & qualiter ipsum in gratia & benedictione nostra, licet contra eum multa fuissent proposita, duxerimus ad suam Ecclesiam remittendum, si vir fidelis existerer, non potuissent tam celeriter oblivisci. Sed licet tam tempore felicis recordationis Celestini Papæ prædecessoris nostri quam nostro proponerent gravia & enormia, post suum tamen recessum a nobis deteriora de eo nostris auribus inculcantur, quæ nec possumus nec debemus sub silentio præterire. Præterea cùm ab Ecclesia Romana, cui tenetur juramento fidelitatis astrectus, nulla debuerit ratione divertere vel ab ea quomodolibet dissentire, ipse, ex quo ei patenter innotuit super negotio imperij nostræ beneplacitum voluntatis, non solum se ipsi opponere non expavit, verum etiam

nobilem virum Philippum Ducem Suevix ad Burgundiam devastandam deduxit, & ipsum tamquam Regem catholicum professionaliter in Ecclesia recipiens Bisantina, ei fecit à suis tamquam legitimo Regi honorem & reverentiam exhiberi. Nuntios insuper nostros & litteras in civitate ac terra sua capi permittit; & ipse, qui esse debuerat eorum defensor, factus est publicus inimicus. Cùm igitur excessus hujusmodi nolimus relinquere impunitos, ne impunitas sua presumptoribus transeat in exemplum, eidem Archiepiscopo per scripta nostra districte præcipiendo mandamus ut usque ad proximam Dominicam qua cantabitur *Letare Hierusalem* per se vel responsales idoneos ad praesentiam nostram accedere non postponat, suam ostensurus, si poterit, innocentiam, vel nobis satisfactionem congruam impensurus. Alioquin ex tunc se noverit ab officio pontificali & sacerdotali suspensum; salva sententia si quam tulit in eum venerabilis frater noster Prænestinus Episcopus apostolicæ sedis Legatus. Quocirca fraternitati tua per apostolica scripta mandamus & districte præcipimus quatenus nostras litteras, quas eidem Bisantino dirigimus, per tuos eidem faciens nuntios presentari, si forte ipse que mandamus neglexerit adimplere, tu eum suspensum per universam Bisantinam provinciam publicè nunties, & facias ipsam suspensionis sententiam per distributionem ecclesiasticam appellatione remota inviolabiliter observari. Datum ut supra v. Non. Octobris.

*Scriptum est super hoc predicto Archiepiscopo juxta præmissam formam.*

Epiſt. 72.

**C**VIM ab illis apostolicæ sedi discriben in fertur qui ejus esse debuerant defensores & se, si necesse foret, exponere periculis & tormentis, in amaritudinem inducimur vehementer, & ad vindictam non immerito commovemur; ut pro impunitate unius non assument audaciam præsumptores, & fideles in devotione fortius animentur. Audivimus equidem, & non potuimus non mirari, quod venerabilis frater noster Spirensis Episcopus mandatis apostolicis inobediens & rebellis existens, dispositionem nostram impedit molitur, & nobis omnino modis se opponit; præterea in duos decurforibus nostris manus per se ipsum iniciens violentias, alterum eorum adhuc detinet carceribus vinculis mancipatum, alium fecit ad suspendum in contemptum Ecclesie Romane deduci, qui quasi divino miraculo mortis dicitur periculum evitasse. Cùm igitur haec non sint a nobis sub silentio transeunça, quæ noscuntur in contemptum sedis apostolicæ attenata, eidem Episcopo per scripta nostra districte præcipiendo mandamus ut usque ad Dominicam qua cantabitur *Letare Hierusalem* proximò venturam per se vel responsales idoneos ad praesentiam nostram accedere non postponat, suam ostensurus, si poterit, innocentiam, vel &c. ut supra usque impensurus. Alioquin &c. in tuncdem fere modum ut in illis quæ mituntur Lingonensis usque suspensum per universam provinciam Maguntianam &c. usque in finem. Datum ut supra.

*Scriptum est super hoc Spirensi Episcopo.*

Vide lib. 1.  
epist. 277. lib.  
14. epist. 125.  
& lib. 16. epist.  
63. 158.